

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

Exegeſis.

Sumimus Pontifex in V.T. nomina filio-
rum Israël, semper in pectorali judicii su-
per peccatum suum portare tenebatur, quan-
do ingrediebatur sanctuarium, in memoria
le coram Domino, Exod. 28.v.29.

Id typus Christi fuit. Quemadmodum e-
nīm Aaron per hoc ipsum ratione officii
sui commonebatur, ut nimirum Israelita-
rum, quorum nomina super peccatum suum
portabat, sedulam curam gereret, & salu-
tem eorundem procuraret: Ita hoc ipso
indicatum est, quomodo Jesus Christus,
verus Novi Testamenti summus Pontifex,
ecclesiam & omnia ejus vera membra si-
bi commendata habere & omni studio cu-
rare vellet, ut in notitia sui quotidie cresce-
rent, & ad salutem æternam conservaren-
tur. Cujus in specie præclarum exemplum
in prælecto Evangelio habemus, ubi Serva-
tor exāmen instituit cum discipulis suis,
quid hactenus ex concionibus suis didice-
rint, & profecerint. Ubi Petrus nomine
omnium egregiam confessionem edit, in-
quiens: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Id
Christo adeo arridet, ut ecclesiam suam su-
per confessionem hanc se ædificaturum es-
se adleveret, ut portæ inferorum non præ-
valituræ sint adversuseam.

Ad Notitiam nostram deducemur, si spe-
citemus.

I. Examinis instituti Reverentiam. Ve-
nit enim Jesus in partes Cæsareae Philippi,
& interrogabat discipulos suos, dicens:
Quem me dicunt, homines esse filium ho-
minis? & paulo post: Vos autem, quem me
esse dicitis?

Christus novit corda omnium, Act. 1,24
& intelligit cogitationes nostras de longe,
Psal. 139.v.2. ideo non latet eum, quid tam
discipuli, quam alii deſentiant. Interro-
gat autem hic discipulos, ut exemplo suo
nos doceat, quod & nos quandoque cum
nostris examen instituere, & eos explorare
debcamus, quid ex concionibus teneant, &
quantos profectus fecerint. Hæc enim ver-
ba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde
tuo: & acues ea filii tuis, Deut. 6. v.7.

Hic probate, mi Christiane! utrum & ipse
non nunquam in tuos censuram exercueris, &
ad liberos & famulitum tuum melius for-
mandos diligentiam adhibueris?

Reperiuntur ejusmodi profligati paren-
tes, quibus perinde est, sive liberi frequen-
tent templum sive minus, nec unquam eos
ad examen vocant, ut quid ex concionibus
profecerint, perquirant. Quinimo non
pauci occurunt, qui ipsi conciones parum
curant, quomodo ergo liberos suos ex iis
examinarent? Hi sunt sicut equus & mulus,
quibus non est intellectus, Psal. 32.v.9. sem-
per discentes, & nunquam ad agnitionem
veritatis pervenientes. 2. Tim. 3. v.7.

O quam gravis ratio illis aliquando red-
denda erit, quando eos Christus ad tribunal
suum vocabit, dicturus: Redderationem
villificationis tua! Dedi tibi fanos liberos, ut
eos tanquam hereditatem Domini de ma-
nu mea reciperes, Psal. 127.v.3. cosque in
disciplina & admonitione Domini educa-
res, Eph. 6.v.4. Gen. 18.v.19. Redderatio-
nem, quomodo id observasti? O parentum
profligatissime! Tui conniventiali liberi tui
velut pecora adleverunt, tu contra scelera
eorum ne quidem frontem contraxisti, ut
Eli, 1. Sam. 3.v.13. virgine pepercisti, Prov. 13.

v.24.

v.24. Iactasti eos, lusisti cum eis, Sir. 30.v.9.
10. non ad preces eos instigasti, nec ratio-
nem Christianismi eorum habuisti, hoc
modo in viam latam aberrarunt, quæ ducit
ad perditionem, Matth. 7.v.13.

Quodsi melius consistere intenditis, ma-
jori solertia liberis vestris animum inten-
dite & omnibus iis, qui curæ vestræ de-
mandati sunt. Spectate Davidem dicentem: Ve-
nite filii, audite me, timorem Domini do-
cebo vos, Ps. 1.34.v.12. Ad hujus exemplum
quilibet pater-familias se componere de-
bet. Cum interrogaverit te filius tuus &c.
Deut. 6.v.20. seqq.

Eusebius de Christianis in primitiva ce-
clesia memorat, quod per quaestiones & re-
sponses in religione Christiana se invi-
cem exercuerint, idque quotidie.

Chrysostomus Episcopus Constanti-
nopolitanus, in more habuit, quod semper
finita coneione. Auditores suos examina-
verit, quid ex eadem retinuerint.

Leonides Praeceptor, commendatur,
quod filio suo Origeni quotidie pensum
certum ex scriptura proposuerit, & post-
quam recitaverit, de vero sensu cundem in-
terrogaverit: hoc modo ei omnia perspi-
cue & dilucide explicavit.

Idem adhuc hodie à Christianis parenti-
bus fieri debet. Sic filios suos ad salutem in-
stituere æquum est, 2.Tim. 3.v.10. hæc enim
supereminens scientia est, &c. Eph. 3.v.19.

II. Opinionum differentiam. Quia enim
Christus interrogaverat, quem dicenter
homines filium hominis esse? Ideo Apo-
stoli diversas hominum opiniones recen-
sent dicentes: alii Johannem Baptistam,
quem à mortuis resurrexisse putant, utio-
pinatus est Herodes, Matth. 14,2.

Alii autem Heliam, intellige Thesbiten,
qui curru igneo in cœlum adscendit, hunc
putant rediisse, juxta vaticinium Malachiae,
c.4.v.5.

Alii autem Hieremiam, aut unum ex pro-
phetis, quia contra urbem & templum præ-
dicas, sicut Hieremias fecit, Jer. 23.26.29.34.
& seqq. cap. & in ipso ingressu tuo refor-
mationem instituisti, & ejusmodi spiritu &
zelo ementes & vendentes templo ejecisti,
& numulariorum mensas subvertisti, Job. 2.
v.13. seqq.

Hæc ita diversæ de Christo cogitationes
erant, in quibus illi qui cum Christo facie-
bant, & à partibus ejus stabant, verfabantur.
Quod vero maleficiorum turba, maxime
Pharisei & scribæ & Pontifices, de eo disper-
serant, ac si Samaritanus, homo vorax & po-
tator vini, publicanorum & peccatorum a-
micus esset, qui dæmonia in Beelzebub
principiæ dæmoniorum ejiceret, Luc. 11,15.
id studio reticebant, quia manifesta men-
dacia & calumniæ erant, in nostram instru-
ctionem, ne & nos ignominiam proximo
improperatam, cum animi voluptate & ti-
tillatione perverse divulgemus, sed ex chari-
tate Christiana contegamus. Hinc Siraci-
des: Ne iteres verbum nequam & durum,
& non minoraberis, c. 19. v.7. seqq.

Hic in examen tuu descendere, mi Christia-
ne! utrum recte sentias, & in fide fies? 2.Cor.
13.v.5.

Adhuc hodie multe invaluerunt scela, in
Articulo de persona Christi, de bapti-
smo, de cena Domini: quilibet suo sen-
tu abundat, imprimis proxime ante
finem

560
In festo die Petri & Pauli.

finem mundi, ubi diabolus valde negotiatus est, & iram suam exercit, scicis, quodā modicum tempus habet, Apoc. 12.v.12.

In eo non offendantur veri Christiani. A mundi enim exordio hæc facies ecclesiæ fuit, cum tres masculi in orbe essent. Adam & Abel innitebantur promissione de benedicto mulieris semine, contrituro caput serpentis: Cain vero Epicureus erat Gen. 4.v.4.

Quis hodie immunitatē sibi imaginaretur, postquam mundus totus in maligno positus est, & ad interitum vergit? potius illud Pauli locum habet: Oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifestiantur in vobis, 1. Cor. 11.19.

Ideo quilibet caveat sibi oportet ut permaneat in his, quæ didicit, 2. Tim. 3.v.14. ne circumferatur in omni vento doctrinæ, Eph. 4.v.14. Apostasia magna est. Satanæ expedit nos cribrare sicut triticum, Luc. 22. v.31. provideamus igitur ne à veritate deficiamus. Optimum enim est, gratia stabiliari cor, non cœsis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis, Heb. 13.v.9.

III. Petri & Collegarum sententiam. Quærentiem Christo: Vos autem quem me esse dicitis? Simon Petrus nomine omnium respondet: Tu es Christus, Filius Dei vivi.

Pauca hac sunt verba, at multa comprehendunt, & respiciunt primo Christi personam, quod non sit nudus homo, sed ille ipse, de quo Pater coelestis ait: Filius meus es tu, hodie, i.e. ab æterno ego genui te, Psal. 2.7. Et iterum: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Matth. 3.17. Deinde & officium ejus denotant, quod sit promissus ille mundi Salvator, quem Deus unixerit

Spiritu Sancto tanquam oleo laxitæ, Ps. 45. v.10. ut contritos corde alligaret, Esa. 61.v.1. peccatum obsignaret, iniquitatem deleret, justitiam sempiternam adduceret, Dan. 9. v.24. & ut verbo dicam: pestilentia morti, & lues inferno fieret. Ose. 13.14.

Hic examines velim te, mi Christiane! utrum & ipse Christum ita agnoveris & confessus fueris?

Hac in parte multi deficient. Occurrunt enim hypocrytæ, qui in gremio sepelunt quod sentiunt, hi neque calidi neque frigi sunt, sed tepidi, ideoque evanescunt ex ore Christi, Apoc. 3.v.15.

Sed omnino necessarium est, ut genuini Christiani fidem suam confiteantur:

1. Ratione Dei. Hic Servator non in Apostolorum libero arbitrio relinquit, utrum se confiteri velint, sed requirit ab iis, ut iudicent sibi quis sit. Tu quoque observa, quod dictum est: usque ad mortem certa proiustitia, Sir. 4.v.33. 1. Pet. 3.v.15.

2. Ratione sui. Sunt enim vera Christi membra, qui in baptismo ipsi promiserunt, quod usque ad mortem fideles esse, & nomen ejus confiteri velint. Fides enim & confessio conjuncta sint oportet: Corde enim creditur ad justitiam, ore vero confessio fit ad salutem, Rom. 10.v.10.

3. Ratione proximi, qui hoc modo in fidere robatur, & ad constantiam inflammatur.

Per constantiam Sadach, Mesach & Abednego, qui statuam auream, quam Rex Nebucadnezar creverat, adorare noluerunt ipse Rex permotus est, ut decretum promulgaverit, quo in universo regno suo Deus Sadach, Mesach, & Abednego coleretur, & adoretur, Dan. 3, 6. seqq.

Si-

Similiter constantia Danielis in causa fuit, quod Rex Darius decretum constituerit, ut in universo imperio & regno suo tremiscant & paveant Deum Danielis, Dan. 6. v.26.

Comitia Augustana indicta erant eo fine, ut Lutherana religio plane extirparetur. Cum vero status Potestantium confessionem suam animo imperterritu ederent, & constanter eidem inhaerenter, ipse Imperator constantia hac incitabatur, ut diceret: Non videre se, quid in hac confesione mali esset, optare potius, ut in toto orbe sic doceretur.

Dux Bavariae Wilhelmus dixit itidem ad D. Eccium: Mihi haec tenus alia & turpiora multa de Lutheri doctrina relata sunt, quara modo audivimus.

Imperator Ferdinandus I. dixit ad Mathesium Pragam vocatum: Redi domum, & tuos doce, ut haec tenus fecisti, secundum confessionem Augustanam. Ita multum confert, quando fidei lux lucet, hoc ipso aliis adducuntur ad similem constantiam, & ut patrem, qui in cœlis est, glorificent, Matth. 5. v. 16.

Summa: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego coram patre meo, qui in cœlis est, Matth. 10. v.32.33.

De Secundo.

PERGEMUS NUNC AD ALTERAM PARTEM, *κειμένων*, sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. TANquam Dei filiu. Dixit enim Simon Petrus ad Christum: Tu es Christus,

filius Dei vivi. Et hæc confessio Servatori adeo placet, ut eum propterea beatum de- prædicet.

Alias non præterit nos, Servatorem nostrum geminam nativitatem habere, sicut & duas naturas habet, id coque Deus & homo est in una persona. In tempore natus est ex Maria virgine: Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, Gal. 4. v.4. Ab aeterno vero genitus est a patre suo: & sicut juxta nativitatem corporalem est απόγονος, ita & juxta æternam generationem est απόγονος, Heb. 7. v.3.

Quæ vero æternæ hujus nativitatis ratio sit, id in hac mortalitate capere minus possumus, & propterea ut alia mysteria plura in vita æterna addiscenda reservare cogimur. Interea, quemadmodū de Deo melius dicere possumus, quid non sit, quam quid sit: ita etiam de aeterna filii Dcī generatione facilius referre possumus, quid non sit, quam quid sit.

In corporali hominis nativitate mutatio quædam accedit: sed in æterna aeterni filii Dei mutatione, nulla mutatio locum habet, Deus quippe non mutatur, Mal. 3. v.6.

In corporali hominis nativitate tempus nominari potest, quo natus nondum fuit, antequam natus est: sed in æterna aeterni filii Dei generatione nullum tempus præcedit, quia pater filium suum ab aeterno genuit, ubi nullum tempus appellari potest, quo filius non fuerit: egressus enim ejus est ab initio, a diebus æternitatis, Mich. 5. vers.2.

In corporali hominis nativitate materia est, ex qua homo nascitur, Sap. 7. v.2. verum in æterna filii Dei generatione tale

Bbbb quid